

XIV.

*Magister Henning Pirgallius an Rose: fordert ihn auf, zur Feier der Translation der Gebeine Bennos zu kommen.*

Leipzig, 1524, April 22.

Magister Henningus Pirgallius de Lypsz scribit f[ratri] H[enningo] R[osen].

Salutem plurimam dicit. Charissime frater Henninge. Ut nec te nostri lateant successus, accipe, nos ventis foveri secundis et clemencia altissimi sanitate pristina spirare. Ceterum pollicitationibus tuis satisfeci ac Lune clarissimi domini Jheronimi Empseri lucubrationem nostram exposui, unde non modicum salutis emerurum spero. Fuit enim idem criticus valde gavisus de mea presencia seque sponte ad quevis placita obtulit. Et ante omnia peccit te salutarem et summopere tuam in translatione divi Bennonis exoptat presenciam. Age itaque, huc te recipias et nos in collegio novo visitare ne pretermittas. Moramur enim in primo palacio ad dextram, ubi lignea est ante clausura. Quicquid enim potero ad dei sanctorumque ejus laudem efficere, patrabo quam lubens, tam etsi nasutolorum turba livore contabescat. Vale omnium longissime. Ex Lipsico museo anno MDXXIII., X. kalendas May.

Henningus Pirgallius tuus.

XV.

*Rose an Matthäus von Grossenhain zu Leipzig: berichtet über die Aufnahme der Reliquien des h. Benno in Hildesheim.*

Hildesheim, 1524, Juli 28.

Littere misse ad egregium doctorem Mattheum Haynis in [fol.112b.] Lypsz per f[ratrem] H[enningum] R[osen].

Post officiosam commendacionem oraciones in Christo utinam devotas. Nuper, egregie domine doctor, apud eximium virum fratrem vestrum Misznensis ecclesie decanum et dominacionem vestram in Miszna constitutus et diversis occupacionibus pro reliquiis impetrandis prepeditus non, ut debui, sed prout potui grates pro beneficiis exsolvi, quia, unde multa tribuerem, non habui. Verumtamen beneficium apud nos corrumpi et consenescere existimavimus. Hilari namque fronte et voce jocunda et quantocius gratie reddende sunt. Et quid agam. Pauper sum ego et inops a juventute mea. Deus igitur omnipotens et retributor omnium bonorum retribuatur dominacioni vestre et omnibus, qui nobis in via constitutis manus porrexerunt adjutrices. His habitis subticere non valeo, excellentissime domine doctor, quanto studio, quanta denique jocunditate, quantave reverencia et solempnitate pro sacris reliquiis introducendis in Hildensem operam dedimus. Tota namque civitas nobis occurrens congratulabatur. Omnis denique clerus, omnes religiosi, omnes cives cum processione solemni nos susceperunt, et dominus noster abbas reliquias infulatus in habitu solemni et sacris vestibus suscipiens et civitatem ab intra circueuntes versus forum, tandem ad monasterium cum cantu et vociferacione solemni ad monasterium deduxerunt. Quid amabilius, quid religiosius, quid inquam melius, quid devocius possit accidere quam tam solempnem processionem inspicere popo-